

# IUVENTUS

EPHEMERIS IN USUM STUDIORUM

Lateinische Jugendzeitschrift. Latin ifjúsági folyóirat. Revue latine de la jeunesse

Laptulajdonos: Katolikus Középiskolai Tanáregyesület. — Sumptibus Societatis Magistrorum Catholicorum Mediarum Scholarum Hungariae. — (Praeses: Dr. Andreas Zibolen elnök.)

Administrator (felelős kiadó — Geschäftsstelle — administration), ad quem pecuniae dirigantur: ALEXANDER REGÉNYI, Budapest, VII., Barcsay-u. 5. (tel.: 223—808).

Moderator (felelős szerkesztő — Schriftleitung — rédaction), ad quem manuscriptamittantur: JOSEPHUS WAGNER DR., Budapest, XI., Lágymányosi-utca 20. (telephon: 268—634).

Megjelenik minden hó 20-án. — Prodit singulis mensibus die 20. Pretium subnotationis an. 1941—42: 3 pengoe, extra Hungariam 4 pengoe. Nummaria chartula (vulgo: chéque) postalis in Hungaria: 57.292.

## Quid sit sperandum de rei neolatinæ eventu.

Lectoribus maioribus IUVENTUTIS scripsit Dr. G. Lurz, rector studiorum superior, praeses SOCIETATIS LATINA MONACENSIS.


Quicumque semel in congressu internationali interfuit aut qui periodica internationalia perscrutari cogitur, haud ignorat, quam gravia incommoda enascantur linguarum diversitate. Quae incommoda temporum decursu eo maiora evadent, quo maiora cuperint incrementa diversarum nationum studia scientifica. Aliae atque aliae linguae nationales vindicabuntius suffragii.

Usque ad saeculum sextum decimum lingua latina universe adhibita est ut lingua internationalis. Labefactato hoc principatu mox intellectum est, quam commodus vel potius quam necessarius esset communis sermo auxiliaris. De multis conatibus condendi artificiosam linguam (velut Esperanto, Novial, Occidental, Interlingua) Soc. Lat. I 22 sqq. disserui; non putaverim permultos artium liberalium auctores unquam aliqua lingua artificiosa esse usuros. Altera ex parte principatus

latinus labefactatus sive minutus erat, nequam sublatus. Ut unum quidem afferam exemplum: Anno 1935. per congressum Ienensem nomenclatura anatomica recensita et denuo sancta est omnium consensu in lingua latina; intererant et Japones.

Nec quieverunt linguae latinae cultores, sed studebant restituere priorem statum. Quae studia recens laetissime efflorescere cooperunt. Anno 1927. academicus quidam professor aperte pronuntiavit: Non erat commodum de auxiliari lingua latina cedere; difficultates in dies crescentes effugere non poterimus, nisi paenitentia commoti ad eam revertemur.

Eiusmodi dicta alia in promptu sunt. Revera multos esse, qui idem sentiant, conicere licet e periodicis latinis laete florentibus in terris haud paucis. Quo in numero Americanum non deesse memoratu dignum esse videtur. Periodicum nostrum «Iuventus» iam viginti quinque annos praeclarissime tuerit communem rem nostram. In his periodicis lingua latina adhibetur ut viva. Scriptores demonstrant latinam linguam esse aptam ad recentissimas quoque res describendas. Revera nihil sane est, quod latine dici nequeat.



Persia ab Anglis et bolscevistis iniuste occupata (vide: pag. 7.)

Per.  
Lat  
020



Ludi scenici Mezőturienses : 1. Cena apud Didonem.

Quid sibi proposuerunt rei neolatinae cultores? Id agunt, ut lingua latina rursus fiat communis lingua auxiliaris eorum, qui scientificis operibus cultui humano inservire student. Congressus internationales nonne fructus multo ubiores ferent, si oratores summaria quidem latina proponent et in edictis, rogationibus, decretis una usurpabitur lingua? De periodicis internationalibus nonne idem valet? Epistolare vero singulorum commercium nonne mirum in modum sublevabitur?

Quid sperandum sit de huius rei eventu, quaeritur. Aliquando tempus fore, quo intumesciente nationum idem ius poscentium numero non solum utilis, sed utique necessaria fiat communis lingua auxiliaris, nobis persuassissimum est. Hac in fide posita sunt studia nostra; hac expectatione certa nitimus. Nostrum est etiam atque etiam demonstrare linguam latinam esse maxime idoneam ad hoc munus suscipiendum. Adhuc magnae difficultates sunt superandae. Nemo sanus somniat celerem eventum.

Opus est internationali senatu latino. Sed quis auctoritatem habet instituendi hunc senatum?

Inter nationes rei nostrae participes principem locum tenet Italia. In Italia lingua latina discitur ut viva. In Italia iam complura vocabularia neolatina prodierunt. In nulla alia terra tam saepe acriterque in diurnis periodicisque de re latina disseritur quam in Italia. Institutum Romanum eiusque praeses *Galassi Palutzi*, vir fortissimus, ex quindecim annis enixe operam dant, ut restituatur pristinus linguae latinae usus; ex tribus annis summo cum gudio omnium linguae latinae cultorum publicant periodicum internationale sub titulo «Per lo studio e l'uso del latino». Speramus eos esse adituros hoc quoque officium nobile.

## Vivum Latinum.

Societas «Iuventus» discipularum gymnasii Mezőturiensis «Blanka Teleki» nuncupati mense Iunio ludos scenicos Latinos fecit. Numeri programmatis ita sequuntur: 1. Hedvigis Merényi (classis VI) spectatores suavibus verbis salutavit. 2. Etelca Melegh (cl. IV), Hymnum poetae Kölcsay ab Ios. Irsy translatum pronuntiavit. 3. Juditha Kner, Éva Tóth, Sara Ember, Lenke Rota, Gisela Sikolya, Susanna Markó, Helena Kovács, Irene Rákóczy partem Aeneidis ad actus scenarum compositam, quae inscribitur: «Cena apud Didonem» egerunt. Interim ad delectandos convivas Friderica Merényi (cl. V)



2. Matronae Romanae adeunt Coriolanum.

carmen heroicum, et Gabriela Adamkovics (cl. VI) saltationem habuerunt. 4. Helena Farágó (cl. VI) et Elisabetha Rada (IV. cl.) carmen «In Coffearia Magna», Michaelis Szabolcska declamaverunt, altera hungarice, altera in linguam Latinam a Vincentio Bors translatum. 5. Puellae parvae cl. III. fabulas didacticas pronuntiaverunt, quae inscribuntur: «Rana rupta et bos», «Ranae regem petunt», «Mus urbanus et rusticus». 6. Sara Ember et Gisela Sikolya (cl. VII—VI) carmen Horatii: «Ad Lydiam» in diverbio cecinerunt. 7. Partem dramatis ab Shakespeario scripti, quod inscribitur: «Coriolanus», puellae maiores egerunt: Brigitta Légrády, Gabriela Besse, Maria Gyurkovics, Eva et Sara Budaházy, Helena Mihályi. 8. Postremo duo carmina Hungarica chorus scholae internae latine cecinuit. Praeco programmatis erat, quae hunc nuntium scripsit:

Brigitta Légrády disc. cl. VII.

**Oratio salutatoria** ab Rud. Milleker prof. univ. Cal. Aug. Debrecini habita.

Carissimi auditores utriusque generis!

Inaugurans Cursus Aestivos anni quinti decimi in Universitate nostra, ex imo corde salvere Vos iubeo allegatos a multis nationibus, et quidem a Batavis, Belgis, Croatis, Danis, Estonis, Fennis, Francis, Graecis, Hispanis, Japonensibus, Norvegicis, Slovacis, Suecicis, Turcicis.

Haud mihi nunc id tentanti, ut sermone patrio unius cuiusque nationis sensus mei animi exprimere velim, liceat hac occasione voces meas extremas antiqua illa lingua expōnere, qua in consuetudinibus ac commerciis litterarum et scientiarum utimur. Haec lingua nullius est nationis, et ideo cuiusque.

Cursus nostrae Universitatis Aestivi, qui semper frequentatissimi erant, nunquam maiorem gravitatem habuerunt, quam hoc anno 1941, cum supra hanc turrem Universitatis, intra cuius muros amor litterarum atque scientiarum viget studiumque nobilissimum contenditur ad omnes eas animi virtutes excolendas, quae mentem humanam ad pietatem, observantiam, amicitiam atque fraternitatem dirigunt, cuiusque ex omnibus fenestris, ex omnibus solariis iuvenes, viribus integris animique promptissimi, vultu hilari in vitam quotidianam tumultuosam despixerunt —, supra hanc turrem, inquam, caelum nubibus obductum est, quae nubes atrocē nobis impendent. Sed haec alba turris, firme ad caelum erecta, praesidium egit, ne sonitus campanae, vox canora pacis atque humanitatis, comprimeretur; propterea hanc vocem tonitrua, nunc a remotioribus, nunc a propioribus locis sonantia, vix audiri potuerunt.

Pulchrum atque fortissimum erat, Carissimi Mei Amici, praesidium quaerere etiam sub nubibus, in hac alba turri. Aedificate hanc turrim in praelectionibus necon horis linguis destinatis omnibusque occasionibus, cum facultas vosmet ipsos invicem cognoscendi offertur. In tumultu



belli iuventutem mundi ad arma pacis scientiaeque capienda vocamus, ut magnus pons inter hominem et hominem, inter populum et populum in Nova Europa effici possit. Haec sperans invito vos ad laborem communem, ad novam turrim aedificandam hic in propinquitate camporum Hortobagiensium, sub umbrosis arboribus Magnae Silvae, quae classicis traditionibus consecratae sunt. Delectamini hic et Deus benedictione prosequatur omnes vestros labores usque ad finem!

### De morte immatura Brunonis Mussolini.

*Icarus atque pater quondam pennis labyrintho  
aufugerant ambo aëriasque vias  
remigio alarum — pater hanc invenerat artem —  
carpebant, tamen hic filius interiit,  
dum solis radiis affectus celsa petebat,  
immensa patrem maestitiam afficiens.  
Brunonis mortem sic luget celsa petentis  
Dux sapiens Italus, Mussolini Benitus,  
qui docuit cives virtutem et patriae amorem,  
ut fugerent scelera nequitiaeque dolos,  
quorum in fallaci labyrintho tunc seniores  
errabant omnes, et puerique viri.  
Fascibus antiquis promptis nunc gloria prisca  
hostes sollicitans auxerat, euge, Italos.  
Accipiunt homines ex Coelo nulla bona unquam,  
denique quin ipsi mutua munera dent.  
Hic Coelo placuit Beniti nunc filius alter,  
Bruno, et quem dederat, heu' repoposcit eum!*

I. Wagner.

### Librorum recensio.

**Révész László.** Florilegium egyházi és klasszikus frók gondolataiból. I. kötet. Veszprém Egyházmegyei Könyvnyomda, 1941. 446 + IX pag. — Ladislaus Révész, qui libro, Latin nyelv- és stílusgyakorlatok (Exercitationes linguae Latinae et stili Latini) inscripto existimationem bonam sibi pepererat, industria et labore insigni ex scriptorum Latinorum et ecclesiasticorum libris plus sex milia sententiarum subtilissimarum, gravissimarum, ingeniosissimarum in vitae meditationem et solacium animorum delibavit, collegit, in ordinem digessit. Hoc libro centum decem ecclesiasticorum scriptorum sententiae continentur. Vix est vitae et actionum humanarum pars aliqua, cui non ullum horum dictorum collectaneorum aptum reperiatur. Omnibus sententiis appositae sunt interpretationes Hungaricae, illae quidem concinnae, simplices, inaffectionatae. Liber iste et extra et intus affabre adornatus est. Volumen, quo Latinorum scriptorum gentilium sententias comprehensum iri spopondit, Révész brevi spero fore, ut edatur, ut idem inde atque ex isto, emolumentum capiatur fibro.

**Guido Berardi.** Primi Rudimenti della Lingua Latina, Roma, 1940. — Hic parvulus libellus, ut iam titulo indicatur, rudimenta grammaticae Latinae continet estque compositus potissimum parvulis discipulis et prima elementa linguae Latinae callere volentibus. Grammaticae notiones explicantur verbis planis, perspicuis. Haec grammatica, ut in praefatione dicitur, in linguam Italicam quasi insita est. Declinationes et coniugationes per exitus in tabellis clare dispositos cognitu et perceptu faciles redduntur. Non solum morphologia, quae dicitur, sed etiam elementa syntaxis traduntur exemplisque brevibus illustrantur. Est autem haec grammatica quasi adumbrata summa grammaticae primosque in discenda lingua Latina gradus facientium usui aptissima.

Car. Acs, Bp.

### Hora Vergilianae.

Carmen *Augusti Friderici Schmidt* poëtae Brasiliensis a *Paulo Rónai* in versus Latinos translatum.

*Vergilianae est hora. Arvorum ex floribus afflat  
atque sinu noctis ventus placidae veterisque  
sopitae surgunt fecundae cantica terrae  
ac vivae currunt aquae cantantque ridentes.  
Tuque Deo plena grates cor nunc age hora,  
cum similis vino, quod condidit amphora prisca,  
otia carpit mens. Hortis in sentio gemmas  
et germen frugum gestus stirpumque profundos.  
Astro petunt rami. Iam nox animalia terrae  
et volucres caeli demersit fessa sopore,  
temporis oblivio<sup>1</sup> tradit dum membra quieti.  
Lege voluptatis tempus superari videtur  
et spectant oriturarum motus oculi nunc  
virginearum formarum caligine densa.*

Rio de Janeiro, Nonis Jun. X. 1941.

<sup>1</sup> dic: oblivio.

### LECTORIBUS MINIMIS

#### Jocosa.

1. Iuvenis et senex calvus<sup>1</sup> simul eandem virginem in matrimonium<sup>2</sup> petunt.<sup>2</sup> Iuvenis superbus<sup>3</sup> audaciam senis indignatus<sup>4</sup> per iocum interrogat: «Quot hiemes istud caput calvum vidit?» Senex «Hoc quidem — inquit — non certo scio, sed homine sexagenario<sup>5</sup> semper senior est asinus viginti annorum».

<sup>1</sup> Kopasz = kahl, haarlos = chauve    <sup>2</sup> nőül kér = sich bewerben um = demander la main de    <sup>3</sup> hetyke = übermütig = arrogant    <sup>4</sup> bosszankodva = entrüstet = agacé par    <sup>5</sup> sexaginta annos nato



Templum Graeco-catholicum in Ucrania.

2. Rustici<sup>6</sup> vetiti erant in silva possessoris<sup>7</sup> arbores caedere; si quid opus esset, adirent saltuarium.<sup>8</sup> Tamen quidam rusticus contra vetitum unam ex arboribus ceciderat. Saltuarius eum deprehensum<sup>9</sup> interrogat: «Qui<sup>10</sup> tu ausus es silvam caedere?» Rusticus: «Non ego — inquit — silvam tetigi». «Quid ergo est ista arbor?» quaerit saltuarius. Rusticus: «Equidem saepe a meo patre audiui: unam arborem non esse silvam».

3. Famuli hero<sup>11</sup> nuntiant multum stercoris<sup>12</sup> esse in stabulo<sup>13</sup>; quid faciant? «Fodite foveam<sup>14</sup> in eamque stercus ingerite.»<sup>15</sup> Famuli: «Et quo feramus terram effossam?» Herus: «Fodite tam profundam foveam, quae eam quoque recipiat.»<sup>16</sup>

4. Quidam physicus<sup>17</sup> haec discipulis dixit: «Videte, carissimi, haec machina electrica tam fortis est, ut tactu eius homo moriatur, bos obtorpescat.»<sup>18</sup> Professor loquens casu machinam attrectat,<sup>19</sup> et statim supinus<sup>20</sup> cadit. Sed dum attoniti<sup>21</sup> discipuli auxilio ei currunt, ille iam ad se redit et anhelans<sup>22</sup> suspirat: «Gratia Deo, tantum obtorpi.»

5. «Ubi hic lavari<sup>23</sup> potest?» quaerit iuvenis ex pueru rusticano<sup>6</sup> apud aquam. Puer respondit: «Magistratus eo loco, ubi quis in aqua periret,<sup>24</sup> crucem constituit. Ergo locum non signatum quaere, ibi nemo adhuc in aqua mortuus est.»

*Val. Fehér O. S. B. Papaensis.*

<sup>6</sup> paraszt = Bauer = paysan      <sup>7</sup> uraság = Gutsbesitzer = seigneur foncier      <sup>8</sup> erdész = Förster = forestier      <sup>9</sup> rajtakap = erwischen = attraper      <sup>10</sup> quomodo      <sup>11</sup> domino      <sup>12</sup> trágya = Kot, Mist = fumier      <sup>13</sup> istálló = Stall = étable      <sup>14</sup> gödör = Grube = fosse      <sup>15</sup> belehány = hineinschütten = jeter      <sup>16</sup> belefér = vimbe = in sich aufnehmen = il y a place pour      <sup>17</sup> professor      <sup>18</sup> el-kábul = die Besinnung verlieren = être abasourdi      <sup>19</sup> hozzáér = anrühren = toucher      <sup>20</sup> hanyatt = rückwärts = à la renverse      <sup>21</sup> megrémült = bestürzt = consterné      <sup>22</sup> lichegve = keuchend = haletant      <sup>23</sup> fürdeni = baden = se baigner      <sup>24</sup> belefullad = ertrinken = se noyer

Magistra: Qualis erat aetas aurea? — Discipula: Aetate aurea vaccae, caprae, gallinae gallique<sup>1</sup> omnes lac ultro dederunt.

*Prisca Baumann disc. gymna. Helv. conf. Bp.*

**Jocus Marci Twain.** Complures amici Marci Twain in caupona<sup>2</sup> quādam Novi Eboraci (= New York) olim sedēbant, cum unus ex iis commemoravit: «Cavillator<sup>3</sup> magnus hoc ipso diē diem natalem celebrat, quam ob rem componamus ei cele-

riter epistulam gratulatoriam pulchram!» Ubi epistula perscripta est, omnes interrogaverunt, sed nemo scivit, qua parte terrarum vir natalicius<sup>4</sup> ille celebratus momento temporis commoraretur. Denique convénit<sup>5</sup> inter<sup>6</sup> eos, ut haec inscriptio in involucrum<sup>6</sup> scriberetur: «Marco Twain; Deus solus non<sup>7</sup> ignorat<sup>7</sup> ubi terrarum». Admiratio<sup>8</sup> maximā amici affecti<sup>8</sup> sunt, cum post aliquot septimānas<sup>9</sup> hoc responsum «Laconicum»<sup>10</sup> ex Italiā allatum est: «Ille certe non ignorabat!»

**De tussi.**<sup>11</sup> Cum quidam actor illustris Vindobonensis<sup>12</sup> olim in quadam tragœdiā interfectus esset, et examinis in scenā<sup>13</sup> iacēret, tussim reprimere non potuit; quam ob rem cachinnus<sup>14</sup> sonans in theatro exortus est. Tum caput allevävit et se ad spectatores vertens dixit: «Haec tussis tantum comprobat matrem meam piam<sup>15</sup> rectē dixisse, cum me moneret: O mi fili, olim in sepulcro tussies, quia in sorbitione<sup>16</sup> intingis!»<sup>17</sup> Acclamatio<sup>18</sup> vehemens haec verba actoris consecuta est. *Dionysius Kövendi* (Kunszentmiklós)

<sup>1</sup> kakas = Hahn = coq      <sup>2</sup> vendéglő = Gasthaus = restaurant      <sup>3</sup> humorista = diem suum natalem celebrans      <sup>4</sup> megegyeztek = kamen überein = s'accorder      <sup>5</sup> boríték = Briefumschlag = enveloppe      <sup>6</sup> scit = volt a meglepetésük = war das Erstaunen = fut l'étonnement      <sup>7</sup> hét = Woche = semaine      <sup>8</sup> breve et facetum = köhögés = Husten = toux      <sup>12</sup> bácsi = Wiener = de Vienne      <sup>13</sup> színpad = Bühne = scène      <sup>14</sup> Kacaj = Gelächter = éclat de rire      <sup>15</sup> néhai jó = selig = feu      <sup>16</sup> leves = Suppe = potage      <sup>17</sup> mártogat = tunken = saucer      <sup>18</sup> tetszészaj = Beifall = acclamation

**Fabula<sup>1</sup> sacra<sup>1</sup> Hungarica.** Cum Iesus Christus in terra vivebat, quondam in itinere Petrus Sanctus dixit ei: «Ego aliter regerem mundum...!» — Ideo Iesus statuit comitem occasione<sup>2</sup> datā<sup>2</sup> tentare. Forte in arbore quadam apes<sup>3</sup> invenerunt, Iesus autem dixit Petro: «Apes in pileo collige et porta, quia nobis<sup>4</sup> iis<sup>4</sup> mox opus<sup>4</sup> erit!»<sup>4</sup> Petrus páruit, sed paulo post, cum una ex apibus pupugit<sup>5</sup> manum eius, propheta omnes occidit. Christus interrogavit: «Cur hoc fecisti, cur non tantum eam punis, quae te pupugit?» Petrus respondit: «Non possum decernere, quae sit apis pungens». «Ecce Petre, — dixit Christus — si ne<sup>6</sup> unius quidem<sup>6</sup> examinis<sup>7</sup> apium ordinem servare potes,

<sup>1</sup> vulgo: legenda      <sup>2</sup> alkalomadtán = gelegentlich = à l'occasion      <sup>3</sup> méh = Biene = abeille      <sup>4</sup> szükségünk lesz rájuk = wir werden sie brauchen = nous en aurons besoin      <sup>5</sup> megszűr = stechen = piquer      <sup>6</sup> még...sem = nicht einmal = pas même      <sup>7</sup> raj = Schwarm = essaim

## Carmen conqueritorium.<sup>1</sup>

Scripsit *Ladislaus e baronibus Amadé*, ad modos aptavit *Joannes Arany*. Latine reddidit *Vinc. Bors Szegedinensis*.

{ Splendi-di-mi-li-tis vi-ta'st<sup>2</sup> au-re-a marg'ri-ta,<sup>3</sup>  
Ar-ma bo-na fulgent, mi-cant un-di-que for-ti-a. } Pulcra est haec vi-ta,  
Op-ti-ma, op-ti-ma et lae-ta, Mi-les fi-at, cu-i-ta-lis est ca-ris-si-ma.

<sup>1</sup> Toborzó — Werbelied — chanson des recrues

<sup>2</sup> est

<sup>3</sup> margarita.

quomodo reges ergo mundum? Si unus homo peccaverit, tu cum eo etiam innocentes damabis?» Tunc Petrus pudenter intellexit veritatem verborum filii Dei.

*Ios. Tóth dr. Bp.*

## LECTORIBUS MEDIIS

### Ioannes fortunatus.

Ioannes complures annos fideliter serviebat homini ditissimo, cui ultimo anno ministerii peracto: «Domine, inquit, ad matrem reverti volo, da igitur mihi premium operae meae!» Dominus animo grato motus famulorum fidissimum aliquanto<sup>1</sup> auri donavit. Ioannes itinere longissimo admodum<sup>2</sup> fatigatus auro libenter emit equum a viatore obviam venienti. Nec diu gaudebat celeritate equi, quia mox vehementissima siti pressus equum commutavit vacca<sup>3</sup> agricolae lac<sup>3</sup> praebenti.<sup>3</sup> Ita nonnulla milia passuum progressus suem pinguissimum conspexit, pro quo statim tradidit vaccam, sperans se illo animali matrem maiorem<sup>4</sup> gaudio<sup>4</sup> affecturum<sup>4</sup> esse.

Sed sus pinguis comitem se praestabat lentissimum, ideo Ioannes eum propere cessit cuidam, a quo anserem saginatum<sup>5</sup> accepit, quem in brachio positum facilius secum portare poterat. Vix delectabatur paulisper anserem suo, iam magis ei placuit cos,<sup>6</sup> qua quidam vir laborabat victumque suum<sup>7</sup> facile quaerebat.<sup>7</sup> Ioannes putabat se quoque eo modo domi brevi tempore magnam pecuniam parare posse, ergo illi artifici<sup>8</sup> anserem pro cote haud<sup>9</sup> aegre<sup>9</sup> concessit. Nunc ad puteum<sup>10</sup> perveniens aquam hausturus erat, cum forte cos ei in imum decidit. Sic Ioannes omnium bonorum inops, at hilari animo tandem ad materculam redit, a qua puer diu exspectatus summā laetitiā receptus est.

*Arnoldus Pányi, Cassoviensis.*

<sup>1</sup> nagy darab = ein großes Stück = un grand morceau  
<sup>2</sup> nagyon = sehr = très <sup>3</sup> fejőstehén = Milchkuh = vache  
<sup>3</sup> á lait <sup>4</sup> jobban megörvendezet = mehr erfreuen = mettre en plus grande joie <sup>5</sup> hízott = gemästet = appâté <sup>6</sup> köszörűkő = Wetzstein = meule <sup>7</sup> megkeresni kenyérét = Brot verdienen = gagner son pain <sup>8</sup> mester = Meister = maître <sup>9</sup> könnyen = leicht = facilement <sup>10</sup> kút = Brunnen = puits

### Sex centesimi.<sup>1</sup>

Scripsit: Zs. Harsányi, Latine reddidit:  
*Jos. Guelmino Bp.*

Alfredus, amicus meus autocarum<sup>2</sup> exspectat. Properat, quia ad paginis<sup>3</sup> ludendum<sup>3</sup> ipse quoque exspectatur. Ecce, iam adest autocar, refertus.<sup>4</sup> Nil opus est, nisi aliquantulum<sup>5</sup> benevolentiae, ut loculus exprimatur homini corpore tam exiguo, qualis est amicus meus Alfredus. Et vere imprimis se inter certos, in manu digitabilis<sup>6</sup> induita 24 centesimi praesto<sup>7</sup> sunt, in vultu Cingaris<sup>8</sup> simili<sup>8</sup> animus serenus, propensus ad cavillationem.<sup>9</sup> Forte iuxta senem morbidum,<sup>10</sup> vultu maligno, contigit ei stare, inter compressos viatores, in aula<sup>11</sup> carri. Huius senis iam facies quoque maxime molesta est ei.

Conductor autocarri omnibus viribus utitur, ut viatoribus tesserae<sup>12</sup> administrentur. Motus carri identidem<sup>13</sup> concussus illidit eum viatoribus, qui pedes invicem calcantes conantur aequilibrium<sup>14</sup> recuperare. Opera conductoris vere dura est. Tesseram edere, carrum stantem mittere, tintinnare,<sup>15</sup> ut retineatur, cavere<sup>16</sup> ascendentibus, inopia nummularum<sup>17</sup> laborare et in conferta turba sine cuiusquam offensione circumire. Nullo modo invidenda est res, videlicet.

Conductor tessera dat alteri vicino Alfredi et accipit 3 denarios (= 30 centesimos). Sex centesimi reddendi sunt, si haberentur. Sed tantum duos habet. «Sex centesimos debo, — dicit conductor, — statim reddo.» Alfredus tessera acceptā tradit 24 centesimos, e quibus conductor 20 centesimos immittit in riscum<sup>18</sup> ex corio<sup>18</sup> factum,<sup>18</sup> 4 centesimis addens duos, sex centesimos tradit vicino Alfredi. Et nunc sequitur senex ille vultu malevolo, qui pro tessera solvit 30 centesimos.

— Potestne fieri, ut 4 centesimos accipiam, nam non habeo nummulus? — vertit se ad viatorem.

— Non habetis nummulus! — effervescit<sup>19</sup> senex stomachos.<sup>20</sup> Curate, ut habeatis! Semper id agitur hic, quomodo viatoribus aliquid extorqueatur.<sup>21</sup> Melius esset commodo viatorum curam habere. Multo<sup>22</sup> melius! Deficiunt vos nummuli! Quid<sup>22</sup> ad me?<sup>22</sup>

Conductor patienter respondet:

— Sit venia, reddam tibi, domine, sex centesimos!

Et iam pugnat, ut promoveat se in partem priorem autocarri, ut rursus incipiat ministerium

<sup>1</sup> fillér = Heller = centime <sup>2</sup> autabus <sup>3</sup> kártyázás = Karten spielen = jouer aux cartes <sup>4</sup> plenus <sup>5</sup> valamiske = ein Wenig = un tout petit peu <sup>6</sup> kesztyű = Handschuh = gants <sup>7</sup> praeparati <sup>8</sup> cigányos = zigeunerhaft = à la tzigane <sup>9</sup> kötődés = neckender Witz = moquerie <sup>10</sup> göthös = kränklich = toussant <sup>11</sup> perron <sup>12</sup> jegy = Fahrkarte = billet <sup>13</sup> saepius <sup>14</sup> egyensúly = Gleichgewicht = équilibre <sup>15</sup> csenget = läuten = sonner <sup>16</sup> vigyázni = Fürsorge tragen = avoir soin de <sup>17</sup> apró-pénz = kleines Geld = monnaie <sup>18</sup> bőrtáska = Ledertasche = sac de cuir <sup>19</sup> dühbe jón = aufbrausen = 'semporter <sup>20</sup> zsémbes = voll Ärger = grincheux <sup>21</sup> kizsarol = erpressen = extorquer <sup>22</sup> mi közöm hozzá? = was geht das mich an? = que m'importe?



Bolshevistae dedunt se militibus nostis curru bellico impetum facientibus.

suum triste. Proprimit se, ut potest urbane,<sup>23</sup> inter viatores. Non audit senem indignabundum : «Non habeo nummulos ! Semper : non habeo nummulos. Iam novimus admodum huius generis homines. Quid ? Ludibrio<sup>24</sup> sum, si pecuniam meam concedo.»

(*Finis sequetur.*)

<sup>23</sup> udvariasan = höflich = poliment    <sup>24</sup> ridiculus

## Nuntii mensium Jun.—Aug.

**FRANCISCUS SEBES**, Scholarum Piarum Hungariae 12 annos olim Provincialis,<sup>1</sup> mense Iunio mortem obiit. Fr. Sebes a. D. 1883-o natus est in oppido Vác. Studiis mediarum scholarum perfectis in Ordinem Scholarum Piarum intravit. Studiis superioribus absolutis prius professor erat in diversis Ordinis gymnasii, dein in Schola Superiore Theologica Ordinis Scholarum Piarum novitios<sup>2</sup> instruxit. Mox Assistens Provincialis, demum a. 1928-o Provincialis Scholarum Piarum Hungariae electus est. Quo in genere mandati sui non modo vitam interiorem Ordinis secundum praescripta novi Codicis Iuris Canonici reformando, sed etiam rem custodiatum<sup>3</sup> Ordinis firmando «exigit monumentum aere perennius» sibi. Aestimationem eius optime probavit minister cultus et publicae institutionis, qui semel<sup>4</sup> atque<sup>4</sup> iterum<sup>4</sup> ab eo postulavit, ut in domo Superiore Senatus Hungarici de rogationibus<sup>5</sup> ad rem scholarem pertinentibus<sup>5</sup> dissereret. Anniversario autem 10-o electionis suae a Gubernatore Hungariae Cruce Equestri Ordinis Meritorum Hungarici ornatus est. Morti eius dolentes illacrimamus, eo magis, quod Fr. Sebes in fautoribus Latinitatis numeratus est (v. IUVENTUTIS a. 1938 pag. 77). Lux perpetua luceat ei ! Requiescat in pace !

<sup>1</sup> tartomány-főnök = Provinzial = provincial    <sup>2</sup> kispap = Novize = novice    <sup>3</sup> rendi birtokok = Ordensgüter = propriétés de la congrégation    <sup>4</sup> ismételten = einige Mal = plusieurs fois    <sup>5</sup> törvényjavaslat = Gesetzvorschlag = projet de loi

De Berenice Auricomae.<sup>1</sup> Josephus Révay in



Classis VII. Szilágiani cum praefecta Livia Bazsó (pag. 7).

statione radiotelephonica Budapestinensi m. Julio iucundissime Berenices auricomae historiam recitavit, quam versūs poetae Graeci Callimachi secutus etiam Qu. Valerius Catullus carmine<sup>2</sup> celebravit.<sup>2</sup> Berenice — patris, Magae, Cyrae regis iussu — nupsit regi Aegypti, Ptolomaeo Euergētē, qui mox post nuptias belligerare coactus est. Berenice ergo vovit se comam pulcherrimam tonsuram et in altari Veneris deposituram esse, si maritus integer reversus fuerit. Ptolomaeus vere incolumis reversus est et uxor eius votum exsolvit comam tonsam in<sup>3</sup> Veneris<sup>3</sup> deae offerens. Sed postridie res horrenda patefacta est, coma scilicet reginae nocte ex templo ablata est. Ptolomaeus ira terribili incensus furem occidendum quaequivit. Tum astronomus aulicus regis, nomine Conon, nuntiavit se comam flavam<sup>4</sup> reginae in coelo, inter Leonem et Ursam<sup>5</sup> conspexisse eamque probabiliter ab ipsa Venere asportatam esse, quo magis pulcherrima esset omnium stellarum. Recitator demum partes<sup>6</sup> electas<sup>6</sup> poëmatis 2000 annorum a Gabriele Devecseri eleganter in linguam Hungaricam conversi recitavit.

Al. Weber, disc. Sch. P. Bp.

<sup>1</sup> aranyhajú = goldhaarig = aux cheveux d'or    <sup>2</sup> megénekel = besingen = chanter    <sup>3</sup> sc. templo    <sup>4</sup> szőke = blond    <sup>5</sup> Göncölszekér = Himmelswagen = la Grande Ourse    <sup>6</sup> szemelvény = Auswahl = morceaux choisis

**Gubernator noster, Nicolaus e nobilibus Horthy** cum uxore in praedio suo rustico Kenderesiensi nuper quadragesimum diem anniversarium nuptiarum pro temporibus gravibus simpliciter, sed beatissime celebravit. Coniuges Serenissimi<sup>1</sup> in omnibus rebus exemplum civibus edunt virtutum : Gubernator militibus fortitudinis, viris rerum<sup>2</sup> civilium<sup>2</sup> peritis<sup>2</sup> sapientiae et iustitiae, uxor autem beneficentiae, qua pauperes et miseros semper adiuvat, exemplum imitandum dant. Quare hoc die anniversario coniugali Bárdossy ministrorum primus nomine totius Hungariae gratulatus est Nicolao Horthy uxori. Nos quoque multis precibus oramus Dominum Coelorum, ut hunc virum uxoremque servet nationi nostrae incolumes et concedat, ut vita eorum splendore nuptiarum aurearum intra coronam montium Carpathicorum se amplectentium inauretur.<sup>3</sup>

**De reditu Hungarorum e Bucovina.** Ante duo feresaecula multi Siculorum Transsilvaniae a milibus Austriacis regum Habsburgiensium vexati in Bucovinam emigraverunt. Commoti atque magno cum gaudio nuntiamus die natali Gubernatoris nostri (die 18. m. Junii) fratres nostros e Bucovina revocatos et in regionibus Hungariae meridionalibus consedisse. Inde paulo ante homines nefarii «tsetniciv» nec non rusticci «dobrovoltiaci» nominati, qui ibi a Servianis Hungaros opprimendi causā collocati erant, aut ultro aufugerunt, aut in patriam veterem remissi sumt. Quae cum ita sint fratres nostros reversos nunquam hinc abituros, atque Hungariam semper firmaturos esse speramus, quin efiam scimus.

Hugo Rácz disc. Makonensis.

<sup>1</sup> főmértságú = Durchlaucht = Altesse Sérénissime  
<sup>2</sup> politicis    <sup>3</sup> aurea fiat



**Nuntii bellici.** Dum Germani, Hungari, Fenni, Itali, Slovaci, Rumeni a militibus voluntariis Hispanis, Croatis, Norvegis, Gallis aliarumque nationum adiuti bolscevismum et atheismum in Russia extinguere conantur et quidem tam bene et prospere pugnantes, ut iam e Bucovina, Besarabia, Galicia, Volhynia, Ucraina occidentali, Russia Alba, Lituania, Lettonia, Estonia, Fennia exercitus rubri expulsi sint, captivorum autem et praedarum omnis generis iam immensa multitudo a defensoribus Europae christiana capta sit, Angli, quamquam libertatem et tutelam populis minoribus promittere nunquam desinunt, tamen Islandiam, Irac, Syriam et novissime Persiam factis causis occupaverunt. Quibus in rebus Americani socii suis, Britannis Russisque bolscevistis libenter auxilium ferrunt: tantopere odium Anglosaxonibus totius mundi Germanos timentibus incessit.

**Nuntii breviores varii.** *Paderewski*, clarissimus artifex<sup>1</sup> clavichordii<sup>1</sup> Polonorum et *Rabindranath Tagore*, poëta illustrissimus Indiae, ambo viri extremae senectutis, plus 80 annos nati, mortui sunt. — *Aemilio Láng* rectori gymn. h. c. Keszthelyensi, socio IUVENTUTIS vetustissimo, antiquitatis latinitatisque peritissimo, quondam professori *Iosephi Huszti* professoris Universitatis (a. 1917—1917 moderatoris IUVENTATIS), *Vincenti Gombár* aliorumque sociorum nostrorum, septuagenario,<sup>2</sup> imo ex corde gratulamur. *Faxit*<sup>3</sup> Deus, ut ei etiam octogenario optima valetudine fruenti gratulari possimus. — *Helvetia* ante 650 annos condita, *arx Buda* a Turcis ante 400 annos dolo capta, *Stephanus Széchenyi comes* ante 150 annos natus hoc anno celebrantur. — In certamine latrunculorum seu scaccorum<sup>4</sup> *Euwe* doctor ut sunt 6½ et 3½ vicit adversarium *Bogoljubov*. — In urbe Brasiliæ *Rio de Janeiro* adeo numerus murum adactus est, ut homines nocte advenientes omnibus in cellis<sup>5</sup> subterraneis<sup>5</sup> et horreis pronuntiatores<sup>6</sup> vocem felis canisque latratum imitantes collocant, quibus mures territi, cum in publicum<sup>7</sup> aufugint, in muscipula<sup>8</sup> praeparata aut in aquam aguntur.

<sup>1</sup> zongoraművész = Klavierkünstler = pianiste    <sup>2</sup> 70 annos nato    <sup>3</sup> fecerit = concedat    <sup>4</sup> sakk = Schach = échecs    <sup>5</sup> pince = Keller = sous-sol    <sup>6</sup> hangszóró = Lautsprecher = haut-parleur    <sup>7</sup> szabad ég = ins Freie = au grand air    <sup>8</sup> egér fogó = Mäusefalle = souricière

**De Ludovico Grabits rectore gymnasii.** Finis anni scholaris 1940—41 corda discipularum classis sextae tristitia implevit. Valedicere debuimus professori carissimo nostro, Ludovico Grabits. Quamquam gaudebamus, quod professor dilectus director factus est Ráskaiani, et sic ad culmen curriculi vitae pervenit, tamen oculis lacrimosis cogitabamus nos iam non ab eo linguam Latinam doctum iri. Quattuor annos docuit nos professor carissimus, severitate, si oportuit, sed semper amore. Ad horam Latinam discebamus maximo cum studio, institutioni Latinae animum intendebamus maxime. Quantum erat gaudium, cum initio horae professor noster «Promite — dixit — Juventutem, ut eam legamus». Et, cum interrogavit: «Quae vestrum mittent Juventuti solutiones aenigmatum?» semper omnes promptae eramus.

Non tantum professor optimus erat nobis Ludovicus Grabits. Pater et educator curantissimus nobis erat: nunquam nos educare oblitus est, et si quam adiuvare potuit, semper fecit. Tristitia est nobis maxima ei valedicere! Sed etiam posthac amore maximo cogitabimus de eo,

et diligentissime discemus linguam Latinam, quam professor carissimus noster Ludovicus Grabits nobis tam gratam fecit.

Gratia Kerényi disc. cl. VII. B) Szilágynai.

## Commercium epistolarum.

Carissime Domine Moderator Iuventutis!

Pro praemio accepto gratias maximas ago. Benevolentia Vestra mihi laetitiam magnam attulit. Simul etiam photographiam mitto Vobis, quae



Discipulae cl. VI. Angelani (Scarabantini).

alumnas VI. classis repraesentat, et quidem: Claram Rhédey, Mariam Schmiedthoffer, Margaretham Bella, Evam Anicsek, Margaretham Szűcs, Elisabetham Gyopáros et Mariam Antal. Hae discipulæ semper magno cum gaudio expectant diem, quo ephemeras a nobis perama, Iuventus, adveniat. Nunquam non libenter legebamus et in futuro quoque gaudentes legemus hanc ephemeredem pulcherrimam et utilissimam. Ferias amoenissimas opto Vobis cum magistra nostra amata amicabusque meis.

Iván, die 10. m. Augusti, 1941.

Margaretha Bella.

## AENIGMATA

### Solutiones aenigmatum numeri IX.

1. Proverbium: Systema est filum Ariadneum, sine quo chaos. — 2. Roma, olim, mico, Amor. — 3. Talis, alis, lis, is, s, as, mas, amas, famas. — 4. Silentium. — 5. Apostolus. — 6. Crux lapidea in summo monte. — 7. Aro, bibo, utor, reddo, bello, edo, eano, oro, nascor, dico, iungo, tollo, angō: *Ab urbe condita*. — 8. Salus publica. Errare. Regibus. Operam. Mulier. Ovem. Leges. Ultima. Nemo propheta. Tempus. De mortuis. E duobus malis. Otia. Romae. Ululas. Mendacem. Mortui. Omne. Lucernam. Aliud sceptrum. Elephantum: Sero molunt deorum molae.

**Aenigmata recte dissolverunt:** fratres Székely\* (gymn. Archiep.), Catharina Wohl (*Veresianum*), Budapestinenses. Fridericus Kreiner *Magna-Canissanus*. Stephanus Ipkovich *Ginsiensis*. Maria Csengery, Lenke Csurilla, Maria Koch, Magdalena Krajcsik, Juditha Molnár, Helena Nagy, Helena Pintér, Valeria Schág, Irma Szabó, Prisca Szinay, Sabina Szvircsek, Elisabetha Tóth\* *Magno-Varadinenses*. Margaretha Bella *Scarabantina*. Olga Jákó\* *Szolnokiensis*. Maria Kónya *Sabariensis*.

Stellula (\*) indicatis praemium ab Societate Mag. Cath. M. Sch. datum sorte obvenit.

## 1. Quadratum magicum.

1.	2.	3.	4.	
1.	A A A C	Occulto, abdō.		
2.	E E L L	Forma verbi «esse».		
3.	O O R R	Titulus principum Etruscorum.		
4.	S S S S	Mons Thessaliae. Petrus P. Primaveri disc. Lucanensis.		

## 2. Rebus.

## VOLUPTAS potestas.

Fridericus Kreiner disc., Magna-Canissanus.

## 3. Ad saltum equulei.

da-				
men-	a	gno-	sti-	fun-
Ju-		tum.	est	
re-	ti-		rum	

Edmundus Szentgyörgyváry disc. Jászberényensis.

## 4. Pyramis.

I	Vocalis.
II	Pronomen determinativum.
IIO	Qualitas hominis firmi.
OSSS	Pecus lanigera.
SSVV	Casus vocabuli «Juppiter».

Zoltanus Gaál disc., Maurini Papaensis.

## 5. Aenigma rotundum.



Si recte inveneris primam litteram, circumiens quaere  
tertiam quamque litteram, dum accipias nomen conditoris  
IUVENTUTIS.

Cl. VII. Angelani Bp.

## 6. Ex sententiis.

- ..... minuitur, nisi eam exerceas.
- .... iacta est.
- ... acu tertigisti.
- .... peior est, quam dolor.
- .... est memoria malorum praeteritorum.
- .... commendat opus.
- .... in fabula.
- .... silent Musae.
- .... ad anteriora.

Expletis his sententiis nomen scriptoris epigrammatum  
Romanorum clarissimi accipies.

Lad. Ujlaki disc. Ladislaini Bp.

Budapestini, ex officina consortii Stephanei. Negotiorum curator : Fr. Kohl jun.

## 7. Numeris.

18, 30, 10, 23, 11, 24	Artifex pingendi est.
21, 26, 7, 15, 29	Caput familiae.
3, 25, 17, 2, 16	Ora maritima.
1, 9, 4, 28, 19	Decus, venustas.
22, 27, 20, 12	Filius Veneris.
14, 5, 3	Liquor densus dulcis.
8, 6, 10, 15, 14	Numerus.
13, 27, 5, 19, 13, 16	Pars corporis.
1—30 : Dictum pulchrum	Horatii.

Ern. Réti disc. Dombováriensis.

## 8—9. Crucigrammata.

1			2	3	4
				5	
			6		
7	8				
9					
10					

Ad libram : 1. Urbs in Mysia. 5. Manduca, comedē !  
6. Diligit. 7. Praeses Slovacorum. 9. Nomen litterae  
Graecae sine ultima littera. 10. Filius Neptuni, rex Bithyniae.

Ad perpendiculum : 1. Suavitas, venustas. 2. Nullus.  
3. Mons Cretae. 4. Adversarius Attilae in pugna ad Catalaunos.  
6. Nomen Graecum urbis. 8. Compendium Iovis  
Optimi Maximi.

Ludovicus Kiss disc. Debrecinensis Sch. P

1	2	3	4	5	6
7					
8			9		10
11		12		13	
14			15		16
			17		18
19					

Ad libram : 1. Palus, ubi Romulus evanuit. 7. Avus  
Patrocli. 8. RC. 9. Irrigo (retro legendum). 11. Adverbium.  
13. Numerus retro legendus (gen. fem.). 14. Conunctio.  
16. TR. 17. Pars corporis intestina (retro legenda). 19. Filia  
Agamemnonis.

Ad perpendiculum : 1. Regio Romae antique (hodie :  
S. Pietro in Vincoli). 2. Praenomen Larentiae (gen.). 3. PT.  
4. ROO. 5. Praepositio. 6. Provincia Italiae antique.  
10. Praepositio. 12. Pontus, pelagus. 15. Adverbium tem-  
porale (tertia littera abest). 18. CT.

Helena Lengyel disc. Pestszenterzsébetiensis.

Nota. Lectoribus minimis : 1—5, mediis et maiori-  
bus 6—9. — Quisquis aenigmatum tot solvat, quantum  
potest. Etiam unum solum aenigma solventibus praemium  
petere licet. Discipuli eiusdem scholae solutiones a pro-  
fessore suo collectas in communi involucro epistulae ad  
moderatorem J. Wagner (Budapest, XI., Lágymányosi-  
utca 20.) mittant.

Terminus solutionum : Calendae Novembres.